

VI

1517, 25 mai — 1518, 5 mars. — *Jean Borchmans travaille aux stalles et il reçoit 60 fl. du Rhin 4 Sds.*

Note au même registre.

Item dictus Johannes cum 2 famulis Petro et Johanne incipit reformare stalla anno 17 (1517), 25 maii et recessit anno 18 (1518) 5 marci. Infra quod tempus solvimus sibi pro dictis per Cameraarium in parvo registro divisim descriptis pariter in toto 60 florenos 4 stuferos exceptis clavis bitumine etc. Et recessit (1).

* * *

HISTORIA PRAEPOSITURAE DE KAPOSFÖ

Acta et Decreta Synodi Dioecessanae Strigoniensis a. D. 1629 Tyrnaviae celebratae cum tribus per Cardinalem et Archiepiscopum Strigoniensem Petrum Pázmány scriptis appendicibus ex mandato Georgii Szelepcsényi archiepiscopi a. D. 1657 in lucem prodierunt.

Appendices prima et tertia referunt descriptionem archidieccesis Strigoniensis necnon iura eiusdem, tertia vero « de religionibus ordinibus, qui olim in Hungaria floruerunt » tractat.

Cardinalis Pázmány in conscribendis canonibus Praemonstratensium — ipso fatente — secutus est Layruelium et Pagium (1), sed insuper enumerat quinque fundationes illis ignotas, quae sunt : Somlyóvásárhely, quod solummodo ineunte saeculo XVI. transivit in possessionem monialium S. Norberti ; Zsámbék, quo exeunte saeculo XV. iam heremitae Ord. S. Pauli potiebantur ; dein Majk, Mórichida et Kaposfö.

Qua de causa hoc novissime recensitum in Comitatu Bodrogiensi requirat (2), mihi quidem ignotum est, verum incertum esse non potest illum elenchis priorum temporum usum esse, quia praepo-

(1) Ces documents nous ont été communiqués par le chanoine P. F. Lefèvre O. Praem., attaché aux Archives générales du royaume, Bruxelles. Qu'il trouve ici l'expression réitérée de notre gratitude.

(1) *Acta et decreta*, 109. « In *Commentario Regulae S. Augustini*, auctore D. Servatio DE LAYRUELS, Ord. Praemonstratensis Vicario Generali et in *Optica Praemonstratensium SANDECII* in Polonia descripta, hasce Praeposuras recenseri video Praemonstratensium ».

(2) *Acta et decreta*, p. 111 « Kapos-fö S. Benedicti, in Comitatu Bodrogiensi ».

situra iam in documentis saeculi XV. nomine praepositurae de S. Benedicto commemoratur.

Auctore Pázmány inter canonicas Praemonstratenses recenset Kaposfő etiam Hugo in Annalibus (3), qua talem refert illam Fuxhoffer quoque in Monasteriologia (4) sua, licet appendice Pázmányii nisus praesupponat praeposituram Benedictinam (5) eiusdem nominis et ad hanc hypothesim confirmandam plura affert, quae recentioribus temporibus infirma levioraque se praestabant. Nihilominus a Fuxhoffer coniectum errorem describebant historiographi inque numerum monasteriorum Benedictinorum referentes Kaposfő per centum circiter annos (6).

Primus Csánky (7) contendebat illud monasterium Ord. Praemonstratensis fuisse, Pancratius Sörös (8) historiographus rerum gestarum minorum abbatiarum Benedictinarum iam non exstantium excludit Kaposfő. Nuperrime vero, Kaposfő catalogo, qui ex mandato Episcopatus Hungariae praeside Remigio Békefi abbate de Zirc conficiebatur, tamquam praepositura Praemonstratensium inseritur (9).

Si fidem dare licet annotationi multo post conscriptae, filia erat Túrjensis (10).

Praepositura sita erat in Comitatu Somogy, in dioecesi Vespriemiensi et quidem in territorio archidiaconatus Somogyiensis (11),

(3) HUGO, S. et C. *Ordinis Praemonstratensis Annales*, II, 2.

(4) FUXHOFFER, *Monasteriologia Regni Hungariae*. Veszprém, 1803, II, 45.

(FUXHOFFER, I, 308-309 ubi citat quoddam manuscriptum Lendvay, archiepis de Pannonhalma, Sacro monte Pannoniae.

(6) FUXHOFFER-CZINAR, *Monasteriologia*, Pest, 1858, I, 308-309. BALICS Lajos, *A római kath. egyház története Magyarországon*, II, 2. 178; ORTVAI T., *Magyarország egyházi földleírása*, II, 796. Budapest, 1892). RUPP Jakab, *Magyarország helyrajzi története*. Pest. 1870, I, 298. FRANKOI Vilmos, *A veszprémi püspökség római oklevéltára*. Bevezetés 151 et omnes lexikographi.

(7) CSANKI Dezső, *Magyarország történeti földrajza*. Budapest, 1894 III, 643.

(8) SÖRÖS Pongrácz, *Az elenyészett bencés apátságok*. Budapest, 1929.

(9) BEKEFI-LUKCSICS, *A magyarországi préposti és apáti címek oklevelek alapján kijavított jegyzéke*. (Elenchus titulum abbatum et praepositorum in Hungaria donatorum iuxta litteralia documenta correctus). Manuscriptum. 1922.

(10) Csorna: f. 18. n. 1. Manuscriptum in papiro sine anno, verisimiliter e saec. XVIII. «Anno 1294 assignata fuit paternitas Ecclesiarum Circariae Hungaricae quinque abbatibus inferius annotatis, propter defectum Patrum Abbatum, qui eas minime visitabant». Coppuph, filia quondam Thust, in Dioecesi Vespriemiensi assignata fuit abbati de Luthonis.

(11) EGYHAZTÖRTENETI Emlékek, V, 461.

haud procul a fluvio Kapos, aliquot stadia ad occasum ab urbe Kaposvár, quae hodie locus principalis Comitatus est.

Fundabant hanc praeposituram Moys et Alexander, filii Magni Moys palatini, qui a° 1252 ex possessionibus hereditariis in bonum praepositurae fundandae cedunt Magyarfalu, qui postea Szentbenedek appellatus est, Szenne, Poczita et Keményvölgy (12). A° 1254 distant fundationem cum praedio Pat, in quo templum in honorem Ss. Cosmae et Damiani erectum stabat (13). Possessiones praepositurae territorium continuum faciunt, cuius in medio erat monasterium (14).

Memoria aliarum possessionum donatorum vel aquisitionum nobis non est tradita. Saeculo XIII. gaudebat conventus auctoritate loci credibilis (15).

Fundatores vestigia maiorum secuti rebus publicis occupabantur. Alexander modo ensiferi regii comitisque munere fungebatur (16), Moys vero maiores dignitates est adeptus, quatenus plurimum comitatum comes, banus, magister tavernicorum, iudex curiae regiae et postremo palatinus — primus Regni Hungariae dignitarius — factus, ratione consanguineitatis etiam cum familia regia coniunctus erat. (17). Filium non habuit sicque bona eius, accepta a rege facultate testamentum faciendi, illo mortuo inter filias eiusdem, deinceps moniales in insula Leporum et monasterium Cisterciensium ab ipso in Abrány fundatum divisa sunt (18). Kaposfő alias Kaposszentbenedek in hoc testamento silentio premitur.

Jus patronatus — palatino sine semine defuncto — fratri minori Alexandro occumbebat et penes heredes eius manebat (19).

(12) FEJER, *Codex dipl.* IV, 2, 159. Ommissa metarum descriptione; Csorna. F 90. n. 3. Transsumptum auth. det et reambulationem metarum.

(13) Csorna: f. 90., n. 3.

(14) Fines huius domini in mappa militari bene agnoscere possunt.

(15) WENZEL, *Arpádkori új okmánytár*, VIII, 80. A. 1263 « Sed cum partibus terminum et locum, scilicet Conventum S. Benedicti de Copusfeu partibus volentibus et conscientibus assignassemus, ipso die sacramenti dictus Samsun non recepit sacramentum filiorum Kurpad et testium suorum iam dictorum, sicut per litteras dicti Conventus nobis patuit evidenter ».

(16) WENZEL, I, 304.

(17) TURUL, 1898, 118 seq.; TURUL, 1901. 21 ss.; WERTNER, *Az Arpádok családi története*, 597. ss.

(18) HAZAI oklevéltár, 38, 1260; HAZAI okmánytár, VI, 256, (1280); WENZEL, XI, 566.

(19) Csorna: f. 89. n. 16. (1492) « ius patronatus iidem progenitores ipsius magistri Antony a primaeva ipsius Praepositurae fundatione jure et titulo huiusmodi fundationis habuisse... »

Praeter unicum documentum (20), quo probatur monasterium loci credibilis auctoritate praeditum fuisse, eius rei mentio nullibi fit. Ceterum conventus minores non ultra medium saeculi XIV. pollebantur hac facultate. Praepositi canonicae sparsim nominantur. Unus ex eis, cuius nec nomen in litteris affertur, a. 1318 Temesvárii causam patroni defendit coram iudicio (21), a. 1342 Petrus memoratur praepositus (22), a. 1415 Mathias litteras transscribi iussit (23), a. 1521 Franciscus operam dat praediis defendendis et conservandis. (24).

Saeculo XV. patronatu monasterii potitur familia Geréczy, cuius praedia in Comitatibus Körös et Tolna sita erant (25). Antonius stirps huius familiae fungens in cancellaria regia (26) anno 1492 a rege Wladislao II. impetrat confirmationem iuris patronatus sui ab ipso in Kaposfő iam pridem exerciti ratione foundationis. (27).

Documentum hoc iura patronatus sine intermissione exercita apte circumscribit: «quotiescunque praefatam praeposituram S. Benedicti de iure et de facto vacare contigerit, toties ipse magister Antonius fratresque sui praenotati ac eorum posteritas universa in eandem praeposituram personam idoneam et benemeritam praemissa iurispatronatus ipsorum auctoritate eligere, nominare ac illi, cuius interesse videbitur, pro canonica institutione et confirmatione praesentare toties quoties opportunum fuerit, valeant.» (28).

Anno 1507 novam donationem rogant accipiuntque a rege Wladislao II. ad curias proventusque illis a fundatoribus progenitoribusque suis extunc reservatas in possessionibus Szentbenedek et Kaposfő. (29)

(20) Diploma in FEJER, VIII, 7, 228 publicatum false attribuitur Conventui de Kaposzentbenedek.

(21) ZICHY, L. 159.

(22) DANIELIK, *A premontreiek*. 325. citat manuscriptum Malyó ex archivo de Jászó.

(23) Csorna: f. 90. n. 3.

(24) Csorna: f. 90. n. 3.

(25) Possessiones: Csánki: Körös vármegye a XV.-ik században; Csánki: Magyarország történelmi földrajza. De familia nihil in Karácsonyi, A magyar nemzetségek et Wertner, Magyar nemzetségek quia ignorant genus, de quo orta familia. Fragmenta genealogiae in diplomatiis ex Csorna: f. 90. n. 3.

(26) Notarius: a. 1488, 1489, Turul, 1909, 183; 1494, Hazai okmánytár: V. 369 et Córi történelmi és régészeti füzetek II' 65, a. 1494 protonotarius iudicis curiae regiae, 1507 familiaris regius, Fogel: II. Ulászló udvartartása. 67.

(27) Csorna: f. 89. n. 16. «pro iure et titulo huiusmodi foundationis».

(28) Csorna: f. 89. n. 16.

(29) «Fundum curialem, cum omni terra ad usum unius aratri, item unam

Conscriptio portalis ex a. 1534 enumerat in Szentbenedek, Páda et Pat tredecim et dimidiam portas habitatas, duasque desertas ad praepositum spectantes. (30) In conscriptione vero anni 1536 solummodo possessionis in Pat est mentio. (31). Juxta conscriptionem portarum anni 1542 praepositus possidet Patcza et Szentbenedek, (32) decimas vero — sicut totus Comitatus Somogy — solvit archiabbati de Sacro Monte Pannoniae. (33).

Ad finem saeculi XV. res Ordinis toto Regno dilabi coeperunt. Várad, Zsámbék, Csut alios dominos agnoscunt, praesertim heremitas S. Pauli a rege Mathia adeo dilectos. Anno 1510 in oppido S. Quintini in Viromandia celebrato Capitulo generali, quod disciplinam ordinis ad pristinum statum reducendam sibi proposuit, interfuit ex parte circariae Hungaricae Uriel de Majthény praepositus ecclesiae de Turócz. Decreta Capituli generalis a Summo Pontifice approbata confirmantur a rege Wladislao II. necnon a Cardinale Thoma de Bakócz, qui tunc sedem archiepiscopi Strigoniensis obtinuit tituloque patriarchae Constantinopolitani insignitus erat (34).

Munus peragendi decreta incubuit praeposito de Ság, Francisco Fegyverneki, viro gravitate pleno, qui quidem omni ex parte studebat viros, de quorum probitate ac zelo ei constabat, praepositos creari vel nominare (35).

Sicque familia Geréczy invita et neglectis privilegiis a rege confirmatis praepositus in Szentbenedek factus est Michael, professus de Türje. (36). Etsi res haec patronis displicuerat, pro tempore nihil agere potuit. Diminuta vero potestate regia atque Turcis in dies

collectam regalem a populis in eisdem possessionibus residentibus annuatim debitam». FEJER, *Codex dipl.*, IV, 2, 159.

(30) OKANYI Pál: *Somogyvármegyének közigazgatása a török uralom alatt és után a megye visszaállításáig. A kaposvári főgimnázium, 1891-1892 évi értesítőjében.*

(31) CSANKI Dezső, *Magyarország történelmi földrajza*, II, 571.

(32) Somogy megye monografiája. 593., *Egyháztörténeti Emlékek*; V, 131-142.

(33) Pannonhalmi Rendtörténet:

(34) KAPRINAI: B. 62. 269-284; B. 43. 258-271. in bibliotheca Universitatis in Budapest; FRAKNOI Vilmos: *Oklevéltár a magyar királyi kegyuri jog történetéhez*, 81-83.; MATICS Döme: *A csornai prépostság története*. Keszthely. 1912. A főgimnázium értesítőjében.

(35) Quoad Türje: 1518. Körmed, in archivo principum De Batthyány, Almarium I. lad. 29. n. 112.; Ad Lelesz: 1521. in manuscripto Kaprinai, B. LXII. 344-350.

(36) «Venerabilis et religiosus frater Michael prepositus ecclesie S. Benedicti in possessione Kaposszentbenedek fundate in Comitatu Simigiensi existentis Ordinis videlicet Premonstratensis, professus vero monasterii Annuntia-

progredientibus necnon perturbatione ex Lutherana reformatione crescente Sigismundus Geréczy quoque ausus est invadere monasterium. Circa annum 1540 amicitiam simulans invitat praepositum ad se in Geréczy, ibidem illum libertate privat, curiam eius in Szentbenedek exspoliatur « abindeque universas res eiusdem protestantis, utputa unum equum valoris 25 florenorum ac paratis in pecuniis 16 florenos ac sementa et avenam et alia genera victualium cunctaque clenodia domus sue in toto ad valorem 50 florenorum abstulisset et asportari fecisset et quo sue placuisset voluntati, convertisset potentia mediante; tandem nec aliter ipsum testantem dimisisset ex captivitate, donec ab eodem protestante quietationales litteras sigillo suo et subscriptione manus propriae sue munitas idem Sigismundus Geréczy pro tuitione sua excepisset » (37).

Praeda ab ipso facta, sicuti patet, valde exigua erat, et pauperatatem praepositurae demonstrat. Praepositus vero perterritus decem fere annorum silebat (38).

Cum vero « quia per continuas ablationes rerum suarum per nonnullos e medio patronorum dicte ecclesiae sue presertim per Sigismundum Geréczy indebite et minus fuste vexatur et depredatus extitisset » ad tutandas possessiones proventusque suos « possessiones universas praepositurae suae » certis rationibus... filio egregii Francisci Foris de Ewlle/ölgye/ et Stephano de Földvár... coram conventu ecclesiae B. Egidy de Simigio sub certis conditionibus et articulis... resignasset et dedisset », omnino ante annum 1549. (39).

Brevi post « resignationalibus litteris minime observatis » mutavit sententiam, et Wolfgango Dersffy de Szerdahely concessit et commendavit praeposituram suam, qua propter Stephanus Földváry a. 1549 in ius vocavit Wolfgangum Dersffy propter detentionem possessionum praepositurae. (40)

Praepositus « iam... senili etate confectus hys disturbiorum temporibus, presertim metu Thurcarum non audens in eadem prepo-

tionis B. M. V. de Thyrlé aliter Jwrlé ». In archivo Conventus de Zala : Prot. C. 171. ; f. 44. n. 2276.

(37) Egyháztörténeti Emlékek : V. 429. Originale in Országos Levéltár in Budapest.

(38) Egyháztörténeti Emlékek : V. 429. « quod licet circa festum pentecostes in anno, cuius iam 10 vel ultra instaret revolutio » scribit Conventus de Zala a. 1550 in fassione per praepositum coram ipso facta.

(39) In archivo Conventus de Zala : Prot. C. 399., 1551 nov. 6.

(40) In archivo Capituli in Pozsony : Capsa 66. f. 2. n. 18. « Exhibitoria-evocatoria per Stephanum Földváry contra Wolfgangum Dersffy propter occupationem detentionemque Bath, Szt. Benedek, Path ».

situra sua residentiam facere, interim donec hoc regnum Hungarie ex Dei voluntate a faucibus Thurcarum eliberaretur aut divinitus cultus reformaretur, tum etiam ex eo, quia per continuas ablationes rerum suarum per nonnullos e medio patronorum dicte ecclesie seu presertim per Sigismundum Gerëczy indebite et minus juste vexatur et depredatus extitisset, his rationibus ductus, volens se recipere ad loca tutiora, videlicet ad dictam ecclesiam prepositure de Thyrle penes venerabilem Martinum prepositum de eadem Thyrle moratum » 7. Novembris anno 1550 personaliter est confessus (41) coram Conventu de Zala et in fassione sua Wolfgangum Dersffy de Zerdahely « tutorem infrascriptum tempus super dictam preposituram suam prefecit, et constituit..., ut ne per patronos dicte ecclesie sue prepositure in rebus ac jobbagionibus suis molestaretur, prout antea sepius... tali tamen conditione mediante, quod idem Wolfgangus Dersffy singulis annis occurrentibus semper ad festum Natalis Domini nunc venturum vel prius eidem Michaeli preposito, eodem autem decedente domino Martino preposito moderno de eadem Thyrle et conventui suo, suisque successoribus pro victu et amictu unum vas vini continentis cubulos quadraginta ac de tritico cubulos vigintiquinque cum pechychapo videlicet et duo larda valoris duorum florenorum et de albo panno porgamal dicto cubitos duodecim dare et persolvere ac prescriptas omnes solutiones in domo dicte prepositure de Thyrle in oppido Zenthgerolth ad manus hominis eiusdem fratris Michaelis sive dicti Martini prepositi de dicta Thyrle vel successorum suorum per eosdem ad id deputati habita locari et deponi facere debeat et teneatur ». Prae-
missis in toto vel in parte non observatis fassionales vanae invalidaeque habendae sunt.

Conventio haec facta erat per praepositum « in suo et totius Ordinis nominibus Premonstratensis (42) ». Quia vero Wolfgangus Dersfy in castro suo Kaposujwar, in toto confinitimo adjacenti ob instantem metum Thurcarum continue occupatus erat, ad legitimam eius petitionem Conventus de Zala duos misit fratres conventuales — Ladislaum abbatem de Zentjakab et Simonem sacerdotem — ad fassionem Wolfgangi Dersfy audiendam. Ipse presentibus supernominatis testibus sponte et libere fessus exitit » eo modo, quod omnes clausulas, puncta et articulos et conditiones per omnes par-

(41) In arch. Conventus de Zala : f. 44. 2276. ; Prot. C. 171. 1550 nov. 7.

(42) Prot. C. 171. in arch. Conventus de Zala.

tes firmiter et inviolabiliter observaturus » est (43).

Die 6. Novembris a. 1551 — licet « ob nimiam senectutem adeo corpore aggravatus esset ut vix confessus suos facere posset » — personaliter iit in conspectum Conventus de Zala et declaravit. « quod » consideratis vita, virtute, morum honestate laudabilique conversatione ac habita sufficienti peritia alyisque virtutum ac probitatum meritis sagacissimi viri Benedicti litterati de Walws, quibus idem testimonio fidedigno commendari meruit et quod habitus ordinis premonstratensis ac et divinus cultus dirimi non videretur sed potius augmentaret, per mortem ipsius fratris Michaelis, de facto vacante dicta prepositura sua, eandem preposituram suam, Kaposzenthenedek dictam... eidem Benedicto litterato et nemini alteri... resignavit atque donavit ac eundem Benedictum litteratum jure canonico nominavit et elegit in prefatum preposituram dicte ecclesie Kaposzenthenedek nostro in conspectu, litteris tamen fascionalibus nostris ex fassione dicti fratris Michaelis super... concessione dicte preposituram Kaposzenthenedek egregio Wolfgango Dersfy de Zerdahel usque ad certum tempus in eisdem litteris fascionalibus per eundem Wolfgangum Dersfy semper in omnibus patribus suis restitui debentibus » (44).

Num revera hoc factum sit, valde dubiosum est, quia Szentbenedek a. 1553 ab Thurcis devastatum (45), a. 1555 Kaposujvár occupatum et per 150 fere annos in potestate Thurcarum erat. Incolae eius a saeculo XVII. usque ad tempus nostrum maiori ex parte sectae Calvinii nomen dant (46).

Anno 1715 item existit praepositura de Kaposszentbenedek beneficia praedita, cui patrono parochia sola subjecta est Szentbenedek, anno 1776 nova fundata. Quae praepositura sacerdotibus saecularibus, praesertim dignitariis donari solita esse videtur (47). Anno 1845 Augustinum Vindobonense accepit beneficium eoque usque ad annum 1867 fructus est. Quo tempore minister rerum publicae educationis et religionis pro fundo publico locat, lucroque fruitur, titulus vero diutius confertur. Quo factum est, ut praeposi-

(43) Conceptus in arch. Conventus de Zala : Prot. C. 400-401.

(44) Protocollum in archivo Conventus de Zala : C. 399.

(45) Acsády : et magyar jobllágynéesség sjáma a mohácsi nrsy után. 44.

(46) THURY Etele : *A dunántuli reformátusegyház kerület története*. Papa, 1903. Bibliografiam vide : Schematismus. Wesprimiensis. 1909. p. 170.

(47) 1770. Ignatius Nagy, episc. in Székesfehérvár., Johannes Pierer, can. Jaurinensis, Georgius Dombovics, can. Zagrabienensis, Ignatius Feigerle, postea episc. in St. Pölten. ; cf. Ruop : I. 299.

tura titularis in indice mandatu concilii episcopalis composito inscreberetur.

Inter parochos fuit unus canonicus Ord. Praemonstratensis, Gerhardus Bolla — ibique est sepultus — professus quondam Csornensis, qui post saecularisationem Josephinam dioecesim Vespriemiensem est transgressus (48).

A. HORVATH

* * *

DE CONVENTUS LELESZIENSIS ACTIVITATE
AUTHENTICA DIPLOMATIBUS EXPEDIENDIS
USQUE 1569 (*). -:- -:- -:- -:-

Praepositura S. Crucis de Lelesz, ordinis canonicorum Praemonstratensium, fundata est sub fine saeculi XII a Boleslao episcopo Vaciensi, quae fundatio a Bela III rege Hungariae est confirmata. Litteras fundationales autem rex Emericus, cum Boleslaus ad factionem Adreanam transivisset, annihilaverat, anno 1214 tamen Andreas II istis litteris renovatis iura et existentiam praepositurae Lelesziensis omnino salvam reddidit.

Conventus certe ab ista confirmatione regium se esse dicit diserte in litteris seu diplomatibus a se emissis. Praeposituram fuisse regiam evincitur etiam e iure supremi patronatus regum Hungariae, super ipsam habito, vel nonnunquam etiam aliis tradito. In electionem quoque praepositorum se immittebant.

Praeter vitae genus ecclesiasticum, videlicet professam vitam canonicam etiam in foro civili certum munus, fungi scilicet activitate publica authentica monasteriorum suorum qua locorum credibilium, Praemonstratensibus in regno Hungariae ut finis existendi est impositum, quo ordo noster characterem aliquem specialem induit quasi nationalem, quod in canoniis nostri ordinis extra Hungariam frustra quaeras. Saeculum enim XII atque XIII constituunt specificum tempus evolutionis in capitulorum conventuumque activitate

(48) Gerhardus Bolla fuit parochus et in Osztopán (1802) Csorna : f. 35. n. 17

(*) Hoc opusculum — a Dre. Laurentio Spilka canonico Jaszoviensi in linguam latinam translatum — est summarium dissertationis meae in fasciculis 1. et 2. periodici *Turul* Budapestini 1928 proditae. Si quis ampliorem cognitionem rei archivisticam ac litterariam habere velit, liceat mihi dissesationem memoratam cum commentariis ipsi commendare.